



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1351 usque ad annum 1414

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118278**

§. 19. Religiosorum privilegia constringuntur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66293](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66293)

Sæcul. XIV.

A. C. 1384.

Rayn. 1384.

Papæ commoratio in urbe Nuceria Regi Carolo haud probabatur, malasque movebat suspiciones: itaque 10 Nov. illum oravit, ut Neapolim rediret. Urbanus reposuit: Reges Papas, non Papæ Reges adire solent: atque si nostram alere amicitiam velis, populum tributis leva! Rex iratus subjecit: Possum imponere plura: hoc regnum armis obtinui: id gubernare Papæ non est: imperet Sacerdotibus! Ab eo tempore nulla Papam inter ac Regem concordia fuit.

## §. XIX.

*Religiosorum privilegia constringuntur.*

Krants metropol. l. 10. c. 21.

Rayn. n. 5. Sap. l. 91. §. 60.

Reversus tamen Neapolim eodem mense Papa, ut explicaret Clementinam Dudum de sepulturis, ac Regularium privilegia constringeret, ad omnes omnium Ordinum Religiosos scripsit sanctionem, cujus hæc est summa: Vetamus, ne diebus Dominicis festisque in templa vestra paræcos recipiatis ad rem Divinam, vel eos sine permisso Curionis sui ad tribunal sacrum admittatis. Siquis Sacerdoti alieno suas confiteri noxas velit, debet ex præscripto Concilii Lateranensis prius consensum Sacerdotis sui obtinere: alioquin absolvi haud poterit. Ne paræciarum templis debita subtrahatur pietas, in vestris



vestris non habebitis conciones ante solemne sacrum, cui prima diei parte adesse Christiani solent in templo suæ parœciæ: nec ibi verba facietis, præterquam invitante, aut saltem permittente Parocho. Quo die ad populum dicet Episcopus ipse, aut pro eo quidam alius, non audebitis idem agere in eadem urbe, aut loco. Sicui parœco sepulturam dabitis, ejus Curioni aut Episcopo, etiamsi neuter postulet, ex decreto Papæ Gregorii, ac pro more recepto dimidiam, aut tertiam, vel quartam partem eorum omnium, quæ hanc ob causam acceperitis, intra dies octo tradetis. Dabat Neapoli 21 Nov. 1384.

Sæcul. XIV.  
A. C. 1384.

## §. XX.

*Conspiratio in Urbanum.*

Cardinales, & Aulici ob visam Urbanum inter ac Regem discordiam magnopere metuentes, ne in terris hujus Principis non securi viverent, orabant Papam, ut vel amicitiam cum Carolo firmam jungeret, vel Romam, aliamve Italiæ partem extra regnum sitam, & aulæ suæ idoneam, tutamque peteret: sed operam ludebant. Tum Cardinalis Reatinus Montis Cassini Abbas Petrus Tartarus Neapoli commorans, sed cum Cardinalibus quibusdam Nuceriæ ver-

Th. Nierst  
c. 41.

c. 42.

Bb 4

fanti-